



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Commentaria In Singulos Canones De Jurepatronatus Qui sparsim in  
Corpore Juris Canonici habentur. Apparatus In quo de Origine, Definitione,  
& Divisione Jurispatronatus agitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)



# COMMENTARIA IN SINGULOS CANONES DE JUREPATRONATUS

Qui sparsim in Corpore Juris Canonici habentur.


## A P P A R A T U S

*In quo de Origine, Definitione, & Divisione  
Jurispatronatus agitur.*

### S U M M A R I U M.

- 1 *Disciplina ratio optima in rebus obscuris omnia à suis initiis sub brevitate repetere.*
- 2 *Auctores, qui de materia Jurispatronatus pertractarunt.*
- 3 *Jurispatronatus est terminus æquivocus.*
- 4 *Jurispatronatus unde originem habuit.*
- 5 *Jurispatronatus quid sit?*
- 6 *Diviso animum incitat, mentem præparat, & memoriam reformat.*
- 7 *Jurispatronatus quotuplex sit, & num. 9. & 10.*
- 8 *Jurispatronatus an sit Ecclesiasticum, vel Laicale attendenda est qualitas personæ presentantis non accidentalis, sed essentialis.*
- 11 *Jurispatronatus passivum competere potest alicui dupliciter, scilicet per vocationem directam, & per vocationem mediatam.*

*Pars I.*

- 1  Um optima disciplina ratio sit in rebus paulò obscuris omnia à suis initiis, & origine sub brevitate repetere, ut nos docuit *Cajus in l. prima in princip. vers. Et certè de orig. jur.* Ideò, ut mihi, & non Reipublicæ Literariæ utilis sim, *Commentaria in singulos Canones de Jurepatronatus* acturus operæ pretium duxi Apparatum istum efformare, ibique de Jurispatronatus Origine, Definitione, & Divisione peragere.
- 2 Materia hæc Jurispatronatus in Jure Canonico præcipua, & in Tribunalibus satis frequens plenè agitata reperitur particularibus tractatibus, nempe *Rocchi de Curt.*, *Lambertini*, *Pauli de Cittadin.*, *Viviani*, *Francisci de Roje*, *Francisci Florentis*, *Frassi de Regio patronatu Indiarum*, *Fontanell.*, *Cardinalis de Luca*, & in brevi Dominus Advocatus Pitonius Præceptor meus ad materiam est in lucem daturus Opus quoddam satis celebre, & tanto Vi-

A 10

ro dignum, cuius titulus erit de *Controuersis Patronorum* continens centum Allegationes, seu Scripturas, vel ad defensionem, vel pro veritate ab eodem promulgatas, quarum triginta circiter Ego summaui, & transcripsi sic illo mihi iubente, ut de ejus stylo, modo ac facilitate scribendi imbuerer.

3 Juspatronatus igitur terminus est æquiuocus: primum namque est Juspatronatus Libertorum, quod provenit ex manumissione; secundum est Juspatronatus respectu Advocatorum, qui dicuntur Patroni Causarum; tertium est Juspatronatus, quod sumitur pro Jure competente in Ecclesiis, quoad Rectoris presentationem, ut desumitur ex *Abbat. in Rub. n. 1. de jurepatr. Rocch. de Curt. eodem tract. in princ. oper. num. 2.*

4 Juspatronatus sumptum juxta hanc tertiam speciem, de quo hic loquimur, prodit, & originem habuit quinto sæculo, ut concludenter probat *Franciscus de Rojje in Prolegomen. ad tit. de jurepatr. cap. 2. ex Epistola 12. S. Paulini, qui obiit an. 431. & ex Epistola 10. lib. 2. & Epistola 18. lib. 3. Sydonii Apollin., qui floruit an. 440., ubi reperiuntur nomina, & elogia Fundatorum in eorum Ecclesiis solemniter inscripta; Ex can. 10. Concilii Arausicani circa annum 441. sub Theodosio juniore, & Valentiniano Tertio Imperatore celebrati, ubi ædificanti Ecclesiam conceditur jus præsentandi his verbis -- *Reservata aedificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus Territorium est --* & testatur *Thomasin. veter., & nov. Eccles. disciplin. p. 2. lib. 1. cap. 29. num. 10., & cap. 30. num. 1., & seqq.* Ratio vero, & causa finalis introducendi Juspatronatus fuit non solum, ut Fideles excitarentur ad fundandas, & construendas Ecclesias, sed etiam gratitudo Ecclesie in Fundatores Ecclesiarum, ut nempe ita in perpetuum testetur Ecclesia quantum suis Fundatoribus debeat, ut tuetur idem *Franciscus de Rojje, ubi supra cap. 3**

5 Definitur autem hujusmodi Juspatronatus, *Jus honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia pro eo, quod de Diæcesani consensu Ecclesiam fundavit, construxit, vel dotavit ipse; vel is, à quo causam habuit.*

Definitionem hanc explicant *Rocch. de Curt. de jurepatr. num. 4. Paul. de Citad. eod. tract. p. 1. num. 42. Virvian. p. 1. lib. 1. cap. 2. per tot.* afferentes Juspatronatus dici *Jus*, quia est quid incorporale, & intellectuale, dici *honorificum*, quia Patrono debetur honor in præsentando Rectorem, dici *onerosum*, quia Patronus tenetur defendere Ecclesiam. Dicitur *utile*, quia si Patronus deveniat ad inopiam, est alendus de Bonis Ecclesie. Dicitur *Competens alicui*, sive foeminae, sive masculo, & etiam Populo, & & Universitati, & omni Christiano. *In Ecclesia*, sive Cathedrali, sive Collegiata, sive Seculari, sive Regulari, cum hac tamen restrictione, quod in Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, Patronus non habet jus præsentandi Prælatum. Dicitur *Pro eo, quod de Diæcesani consensu Ecclesiam fundavit construxit, & dotavit*, quia ad acquirendum Juspatronatus aliquo ex his modis requiritur consensus Episcopi. Dicitur denique -- *Ipse, vel is à quo causam habuit* ad ostendendum, quod Juspatronatus transferri possit de uno in alium, quod fit quatuor modis, scilicet successionem, donationem, permutationem, & translationem Universitatis, cui sit annexum Juspatronatus.

Sed quia divisio animum incitat, mentem præparat, & memoriam reformat, ut dicit *Gloss. in S. Igitur in Verbo easdem in fine in proæm. insit.* Ideo, posita definitione Jurispatronatus, procedendum est ad ejusdem divisionem. Jus ergo Patronatus dividitur primò in Ecclesiasticum, Laicale, & mixtum. Juspatronatus Ecclesiasticum est, quod vel de bonis Ecclesiasticis fundatum, & creatum fuit, vel competit Clerico ratione suæ Ecclesie. Laicale est, quod Laico, seu Clerico ratione sui proprii Patrimonii competit. Mixtum verò est, quod partim de bonis Ecclesiasticis, & partim de Bonis Patrimonialibus fundatum, & creatum fuit.

8 Ad cognoscendam igitur qualitatem Jurispatronatus, inspicienda est qualitas personæ præsentantis non accidentaliter, prout est qualitas Clericatus in eo, qui præsentat ratione successionis hereditariæ, vel consanguinitatis; sed essentialiter, & quæ requiritur ad habendum jus præsentandi. Nam si requiritur qualitas Ecclesie-

fia-

fiastica, Juspatronatus erit Ecclesiasticum; Si verò hujusmodi qualitas non exposcitur, Juspatronatus dicitur Laicale. *Rota decis. 157. num. 5. part. 7. & decis. 289. n. 11. par. 9. recent. & decis. 189. num. 12. coram Pamphil.*

9 Dividitur secundò in Familiare, seu Gentilitium, Hæreditarium, & mixtum; Hæreditarium est, quod transit ad quoscumque hæredes etiam Extraneos. Familiare est illud, quod competit tantum illis de Familia. Mixtum verò, quod utramque qualitatem requirit.

10 Dividitur tertio in passivum, & activum. Passivum est, per quod certi de tali familia sunt præsentandi. Activum, per quod fit, nè quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis Personæ. *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. jus num. 13. Lambertin. eodem tract. lib. 1. par. prima quest. 1. artic. 4. Vivian. par. 1. lib. 1. cap. 3. per tot. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 208. Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 10. num. 2. & quest. 11. num. 1. & seqq. Capon. discept. 72.*

*num. 10. & 74. nu. 6. tom. 2. & discept. 364. num. 10. & seqq.*

11 Juspatronatus autem passivum potest duplici modo alicui competere, scilicet mediante vocatione aut directa, aut mediata, seu indirecta; & quales sint isti modi plenè habetur apud Dominum Advocatum Pitonium in dicto ejus Opere de *contro. Patron. alleg. 1. & dicam infra Part. II. Can. I. & II. Cas. IX. nu. 19. & 33.*

Præsupposita hujusmodi generali notitia Juspatronatus omnino necessaria ad intelligentiam eorum, quæ sunt dicenda; jam descendendo ad *Commentaria in singulos Canones de Juspatronatus*, qui habentur in Decreto Gratiani, in Decretalibus, Sexto Decretalium, in Clementinis, in Concilio Tridentino, in Regulis Cancellariæ, & in Bullario Romano, quos omnes in unum collegi, & ad verbum hic transcripti deducendo ex illis varias Conclusiones, eisque varios Casus annexendo, ut in uno haberem quidquid à Sacris Canonibus definitur circa hanc materiam.

